

VIRO PERILLVSTRI
 PERQVAM MAGNIFICO ATQVE EXCELLENTISSIMO
 DOMINO
ALBERTO GROENING


ICTO EMINENTISSIMO
 REIPVBLICAE PATRIAE VLTRA ANNOS XXXV.
 SENATORI
 IAM DIV INTER COLLEGAS SENIORI MERITISSIMO

ET
 AD DIVI REMBERTI PROVISORI FIDELISSIMO.

RELIQVA
 IAM AD CONSVLATVM CVNCTIS
 PATRV M CONSCRIPTORVM

SVFFRAGIIS ERECTO
 SVPREMVM HOC DIGNITATIS FASTIGIVM
 D. XXII. MAII MDCCCXXXI.
 SOLEMNI RITV OCCVPATVM
 QVO PAR EST DEVOTISSIMAE PIETATIS ET OBSERVANTIAE
 CVLTV GRATVLABATVR
CHRISTIANVS NICOLAVS ROLLER

V. D. M.
 ET PHILOSOPHIAE IN ILLVSTRI SCHOLA BREMENSII PROFESSOR, NEC NON
 ROTERODAM. LITTERAR. SOCIET. CVIVS INSIGNE EST
 PRODESSE CANENDO
 MEMBRVM HONORARIVM.



BREMAE
 TYPIS DIDERICI MEIER, TYPOGRAPH. GYMNASII ILLVSTRIS.



ALBERTO GROENING

LETO EMINENTISSIMO
REPUBLICAE PATRIAE ULTRA ANNOS XXXV
SENATORI
IAM DIV INTER COLLEGAS SENIORI MERITISSIMO
AD DEVI FERRENTI PROVIGORI FIDELISSIMO
IAM AD CONSULATUM EVANGELIS
PATRUM CONSULTORUM



ONSVLIS, heu! vidit moestissima Brema PRIORIS
Funera, quem nobis Parca seuera rapit.
MINDEMAN occubuit, qui publica commoda CONSVL
Iuuit, et hinc laudum nomina clara tulit:
Victurus meritis, magna dum mole Visurigs
Veliuolum dulces in mare voluet aquas.
Splendida virtutum et meritaram praemia laudum
STIRPS pia cum GENERO PROGENIEQUE ferat.

Prouida cura DEI, Cuius miserata dolorem,
Vulneris inflicti causa salusque facit,
Vt TIBI, GROENINGI, supremum CVRIA munus
Conferat et patrii CONSVLIS officium.

Omnis quippe bonus factum TE CONSVLE damnum
Iam putat, et gratas tollit ad astra manus.
Vrbs pia iam referat linguas, hucusque dolore
Adstrictas, et io! laeta, triumphe! canit.
TE celebrat Populus, fellam dum scandis eburnam,
Quamque SCHOLARCHA reges, te Schola nostra canit.
Hancque diem niueo distinguit iure lapillo
Ad quemcunque TVI nuncia fama venit.
Quod cuiunque bono licet, id mihi iura clientis
Scilicet imponunt, laetitiaeque modos,
Queis TIBI delatos sincere grater honores,
Ingenio dignos promeritisque TVIS.
Tu modo pacato, MAECENAS, excipe vultu
Vota precesque pias, quas mea Musa facit.
Es nobis natus, iam munia CONSVLIS ornas
In commune bonum, quod TIBI cura fuit,
Ex quo iam dudum coelesti sede recepti,
TE PATREM PATRIAE constituere PATRES.
Ter fere bis senis labuntur cursibus anni,
Dum TE communis cura salutis habet.
Hinc vel nosse licet cuius ex vngue leonem:
Obtingant meritis praemia larga TVIS!
Quid nobis nostra iam restat in vrbe precandum?
Quae vox cunctorum? quid Schola nostra vouet?
Nestoreos annos vt honore fruaris adeptus,
Quem peperit pietas intemerata TIBI:
Quemque TIBI peperit studium commune salutis,
Pro qua cum SOCIIS inuigilare soles.
Gratulor ergo nouos TIBI, MAXIME FAVOR, honores;
Gratulor oblatum magnificumque decus.
Dignus es hac sparta; sparta est TE CONSVLE digna:
Et nulli distant inter vtrumque gradus.
I! rege Bremanos dextra, VIR MAXIME, Ciues;
BREMA sub auspicio floreat vsque TVO!
Sit procul omne nefas, tutam cum Pace per Vrbe[m]
Aurea procedat cum Pietate Fides!
Rideat omnis ager; vigeant Commercia, Musae;
Crescat in immensum Relligionis opus!
I! rege Parnassum, patrias rege, FAVOR, Athenas:
Arbitrio vigeant omnia fausta TVO!

TE Caput appellant Ciues, Musaeque Parentem;
Et pia Simplicitas Praefide tuta suo est.
Aurea sublato redeunt iam secula ferro;
Prisca metalla NOVO sunt rediuiua DVCE.

HIS nihil adiicio, nisi vota precesque fauentes
Proque MAGISTRATVS, proque salute TVA;
Proque TVI Ciuis, pro CONIVGIS atque TVORVM,
Perpetuaque TVAE prosperitate DOMVS.
Audiat Omnipotens DEVS haec mea vota, diuque
TE seruet Patriae, VIR GENEROSE, tuae.
Cumque simul SVMMI titulo mactere SCHOLARCHAE,
TV, quae so, studiis, quae colis Ipse, faue.
Haec amplios etenim clari DOCTORIS honores
Contulerant quondam Iure in vtroque TIBI.
Haec et in ILLVSTREM tibi conciliaffe SENATVM
Rite viam, constat, promeritisque locum.
Haec peperere TIBI fasces sellamque curulem,
Qua circumplausus CONSVL in vrbe viges.
Nunc, precor, obstricto faueas, VIR SVMME, clienti,
Qui TIBI deuoto pectore plaudit ouans.

